✠

PRO
NOBILI D. ANTONIO Suarez de Melo.

SVPER

RESTITVTIONE OPPIDI DE PVÑETE.

1 NITIS Convẽtionibus pacis inter Coronã Castellæ & Portugalliæ, capite octavo declaratur privationes hereditatum, cæterasque dispositiones belli causa exequutas nullas haberi, ac si hæ nunquam accidissent; subditorum culpas Regum consensu abolitas & indultas, restituendas hereditates ac bona Fisco & Coronæ applicata, quibus si bellũ non evenisset obtingere aut pertinere debuissent, vt liberè in posterũ illis vti, & frui posent; quæ conventiones exemplum vidẽtur pacis Friderici primi vt in *tit. de pace Constantiæ in princip. & §. 1.*

2 Iuxta prædicta Antonius Suarez coram Dominis Iudicibus delegatis à Serenisimo Principe ad expediendas restitutionis causas comparuit, exponens Didacũ Patrem, interveniente procuratore Fisci, emisse locũ de Puñete, & obtinuisse expediri privilegium, inductumquè fuisse in posessionem cum omnibus iuribus eidem pertinentibus, quem eidem restitui contẽdit, sive propter reverentiam rescripti *l. 1. C. de mandat. Princip. cap. Si quando, de rescript.* aut titulo venditionis, & vindicationis *l. qui tibi, C. de hæred. vel act. vend. l. in rem actio. l. is qui destinavit, ff. de rei vindic.* aut vt filius *l. in suis, ff. de liber. & posth. l. 1. C. de consortib. eiusd. litis*, sive vt hæres *l. 1. ff. quor. bonor. l. fin. C. de adicto Div. Adrian. toll.* prout etiam iure tenebatur vt *dict. cap. 1. §. 1. vers. tenebat iustè, de pace Constant.* Barth. *in Extravaganti ad reprimendum, verbo Summariè, tit. qui sint rebell.* Lancellot. *de att. 3. par. cap. 24. quæst. 2.*

3 Quibus apud acta expositis probatisquè, erunt partes Iudicũ deffinire & pronunciare negotium absque mora, cum ideo constituti sint, vt qui belli odio, à possesione bonorum ceciderunt, benignitatis pactionibus sublevati as-

asſequerentur reſtitui, nè belli turbinibus agitati, nudatiquè fortunis, litium prolixarũ moleſtijs, ſumptibus convexati & attriti, novam & adverſam fortunam experiantur in portu *l. iure ſuccurſum, ff. de iur. dot.* maximè cum pacis cõventiones publicæ ſint, *l. conventionum* 5. §. 1. *ff. de pact. l.* 5. §. *in pace, l. in bello* 12. *l. ſi captivus* 20. *l. ſi quid bello* 28. *ff. de captiv.* in quibus publica verſatur vtilitas *l. bona fides* 31. *ff. depoſiti, l. vnic.* §. 14. *C. de caduc. toll. authent. res quæ, C. commun. deleg.* quæ ſuprema lex eſt, Cicer. 3. *de offic. l.* 2. *C. de primipilo.* Exuberentquè conventiones Principum fidem omnem privatorum, cum nihil aliud eis liceat, quã laudandum, & vt appoſitè Caſsiodorus proſequitur *lib.* 10. *Epiſt.* 16. *ſic eſt à Principe gravis vincenda ſuſpicio, ſic curare debuit, qui noxius eſſe nõ voluit,* cum alijs de pactis, & fide Principum apud Ayalam *de iur. & offic. belli, lib.* 1. *cap.* 6. Beſol. *diſſert.* 3. *de pace, paciſquè iure cap.* 6.

4 Cum vero ex pactionum tabulis reſtitutio facienda ſit, conſequens eſt, etiam ſecundum communes iuris regulas non aliter intelligi reſtitutionẽ fieri niſi cauſa actori reddita, quaſi ſtatim iudicij accepti tempore res ei reddita fuiſset *l. reſtituere, ff. de verb. oblig.* expreſsius Vlpianus in vlteriori *l. reſtituere, eod. tit. reſtituere,* inquit *is videtur, qui id reſtituit, quod habiturus eſſet actor, ſi controverſia ei facta non eſſet.* Quare dum ſimili phraſi vtũtur leges, cum Princeps natalibus reſtituit, famæ, honoribus, cauſis, in integrum reſtitui dicuntur *l. Divus Adrianus* 33. *l. Imperator.* 34. *ff. de re iud.* non ſecus ac ſi nec læſio intervenifset, vt notarunt Alciatus, Rebuffus, & alij *in dict. l. reſtituere,* Auguſt. Barboſ. *in lib.* 1. *decretal. tit.* 41. *de in integ. reſt.*

5 Conſtat vero vt vidimus Didacum Suarez in vim prædictæ venditionis, & donationis Regiæ, poſsediſse hunc locum cum omni iuriſdictione & ſuperioritate, aſſentiente alienationi Procuratore Regio, nec reclamantibus vaſſallis ſed Dominum recognoſcentibus, & belli cauſa deiectum fuiſſe à poſseſsione: agnoſcẽdum ergo videtur conventionis Regiæ virtute, Antonium filium reſtituendum eſse in locum & ſtatum antiquum, qui patri antè turbationem competebat, quemadmodum de ſpoliatis ex iuris cenſura circumfertur, vt ante omni[illegible] e[illegible]niant reſtituendi *l. ſi quis ad ſe fundum, C. de vi publ. l. ſi de poſſeſsione, l. invaſor. l. meminerint, l. ſi quis in tantam, C. vnde vi, cap. conquerente, cap. ſæpè, de reſt. ſpol.* Cancer. 2. *var. cap.* 7. *num.* 2. Ramon, *conſ.* 93. Satiſquè de iure ſuo docuit, dum antiquiorem patris poſseſsionem comprobavit, nam iuſta, an iniuſta ſit poſſeſsio nihil refert vt ait *lex iuſta, ff. vti poſsid.* Maximè cum recentior ex Principum beneficentia & placito deſpiciatur & infirmetur, hincquè prima tantum æſtimanda ad reſtitutionem conſequendam Innocent. *cap. poſt electionem, de conceſ. præb. & in cap. ſæpè, vbi etiam* Abbas *de reſtit. ſpol.* Cancer. 2. *var. cap.* 7. *num.* 47. *in nova adit.*

6 Proxima & ſtrictiori ratione firmantur prædicta, nam virtute harum conventionum, ſubditi vtriuſ-

vtriusque Coronæ, sic gratiam Principum assequuti sunt, vt imagine cuiusdam postliminij, res omnes, iuraque omnia, perindè habeantur ac si nunquam possessionem amisissent, quod & iure Attico obtinuit, nã vt apud Dionem Prusæensem *oratione* 15. legimus: *Quidam Caliæ se filium dicens captum in clade ad Achantum, & servisse in Thracia, cum Athenas postliminio redijsset, hereditatem Caliæ à possessoribus petijt, nec aliud quæsitum est in iudicio, quam an is revera Caliæ esset filius.* Quare postliminij lege *verũ est* ait Pomponius, *expulsis hostibus ex agris quos ceperint dominia eorum ad priores dominos redire, l. si captivus, §. verum est, ff. de captivis.* Sic & in *pace Constantiæ, §. sententia*, statutũ fuit *vt possessiones omnes quas quisque de societate, tempore guerræ tenebat iuste, si per vim ablatæ sint ab eis, qui de societate non sunt, cum fructibus & sine damno restituantur.* Qualibet improbata præscriptione, *l. si quos, C. de capt. & post. rev.* Valentinianus *Novell. de Episcopali iudic.* D. Isidorus *apud Gratianum can. in prima* 16. *q.* 4. *Sicut per legem mundialẽ*, ait, *his quos Barbarica severitas captiva necessitate transvexit, postliminio revertentibus redditur antiqua possessio*, Grotius *de iur. belli lib.* 3. *cap.* 9. *de postliminio.*

7 Hæc cũ sic plana & aperta sint impedire satagit Fisci pars, specie enormissimæ læsionis, quã in vẽditione huius Oppidi adumbrat, resciſoriũ & restitutoriũ remediũ excogitans, cuius licet laudanda sit solers diligentia in conservandis, augendisque Fisci iuribus, non tamen credimus bona fide cognita, neque pensiculatim trutinata tandem adversari, sed gratiam pro gratia redditurum, quam & Principis indulgentia & pacis benignitas requirit; atque vt feliciter hæc cedant, animadvertimus, verũ esse ex iure scripto, posse Iudices vtcũque delegatos nec Principales, aut ad vniversitatẽ causarum cõstitutos, de remedio restitutionis cognoscere *l. vlt. C. vbi & apud quem. cap. penult. de in integ. rest.* Regia Ordin. Lusitan. *lib.* 3. *tit.* 86. *§. fin.* Cęterũ peculiari harum pactionum lege, à præsenti examine abstinere omnino debere Illustrissimos Iudices, qui dati non sunt, vt fisci læsionibus extra causam belli, sed ob illam læsis succurrãt, qua ratione aptatur distinctio Senecæ *de benef. cap.* 7. scribẽtis: *Melior videtur conditio causæ bonæ, si ad Iudicẽ, quam si ad arbitrum mittitur, quia illum formula includit, & certos quos nõ excedat terminos ponit, huius libera & nullis adstricta vinculis religio est.* Excessus namque Iudicij in formula negotij præscripti, prævaricatio quædam videtur esse mandati, simpliciter enim & pura mandati forma tenenda est, vt Ambrosij verbis vtar *lib. de Paradyso*, ideoque extra iurisdictionis metas fiunt, quæ aliter exequuntur, vt agnoscunt communes regulæ *l. diligẽter, ff. mandat. cap. P. & G. de offic. & pot. iud.* & ad nauseam trita glomerans Salgad. *de protect. Reg. par.* 4. *cap.* 3.

8 Secundo idem evincitur ex natura iudicij ordinati ad restitutionem ablatorũ ex iuris gentium permissione; sicut enim quæ ad bellum, aut belli causam pertinẽt;

ce-

celerrimè, & manu militari expediuntur, cùm dilationem non desiderēt *l. fin. de appellat. recip. extrav. ad reprimendum, verbo summariè, qui sint rebelles.* Sic pariátur causæ pacis, ne eius favorem, belli odium superet, vtque quod belli calamitas introduxit, hoc pacis lenitas sopiret, sic summatim, breviterquè, causæ pacis ex rescripto terminādæ sunt *glos. in cap. 1. verbo cassentur. & verbo in irritum deducantur, de pace Constantiæ, l. 3. §. sciendum 9. ff. ad exhib.* ibi: *Iudex igitur summatim debebit cognoscere, an eius intersit, non an eius res sit,* Barth. *in dict. extrav. ad reprimēdum, verbo Summariè.* Circunscriptis iuris apicibus, & manu Regia Hortens. Cavalc. *de brachio Reg. 1. par.* Marta *claus. 71. par. 1.* Scacc. *de appellat. quæst. 16. lim. 1. à num. 59.*

9 Nec in arctissimo huius iudicij termino, cognosci potest de opposita læsionis exceptione, quę libellum & prolixiorem tractatū desiderat *l. 3. ff. de rest. in integ. l. in causæ, §. causa cognita, l. verum, § sciēdum, ff. de minor.* Sforcia Perusin. *de rest. in integ. par. 1. quæst. 34. art. 5.* & quamvis in summarijs, nec principaliter sed incidenter concederetur, opporteret illam admittere intra metas contractus in iudicio primū exhibiti, vt causa, & actoris intentio ab ea metiretur, ac tunc nō audiretur *incoloratè* restitui desiderans, vt ait *lex minor. §. sin autem, ff. de minor.* nequè læsionē non probās, Vlpianus *in l. nam postquam, §. si minor. ff. de iureiur. Prætorem* inquit *debere cognoscere an captus sit, & sic in integrum restituere, l. si Papinianus, §. filius, de inoffic. test. l. si præteritus, ff. de bon. poss. cont. tab.* Perusin. *sup. par. 1. quæst. 34. art. 5. & 6.* Diversa autem est causa petitionis, quando restitutio postulatur in vim contractus, in iudicio non deducti, ad intentionem actoris principaliter fundandam, vt si debitum petenti obijceretur compensatio, quæ aliam instantiā desideraret *l. fin. §. fin. ff. de cond. indeb.* Bald. Iason, & reliqui, Perusin. *dict. par. 1. quæst. 34. art. 3.* ibi: *Quādo non petitur restitutio adversus aliquod iudicium male agitatum, vel adversus sententiam, &c. Sed adversus contractum præscriptionem, &c. Et certum est, quod nova instantia opus est, quia nullum adhuc iudicium super hoc præcessisse præsupponitur, & hoc non habet dubium.* Quemadmodum conventione pacis non rescinduntur sententiæ latæ ex alijs causis, veluti mutui, depositi, etc. *Glos.* et Bald. *in d. §. sententiæ quoque tit. de pace Constantiæ,* Surd. *cons. 203. n. 14.*

10 Tertio adhuc in terminis *dict. §. si minor.* exceptio læsionis per actorem Coronæ obiectę, ab hoc iudicio eliminanda esset, nam quæ requirunt indaginem, admitti non debent *l. 3. §. ibidem, ff. ad exhibend.* ait Consultus: *Ibidem subiungit, Iudicem per arbitrium sibi ex hac actione commissum, etiam exceptiones æstimare, quas possessor obijcit, & si qua tam evidens sit, vt facilè repellat agentem, debere possessorem absolvi, l. fin. C. de compens.* ibi: *Ita tamen compensationes objici iubemus, si causa ex qua compensatur, liquida sit, & non multis ambagibus innodata, sed posse iudici facilè meritum sui præstare, l. fin. C. si ex fals. instrum.* Idque præsentire visus est Vlpianus *in dict. l. nam postquam,*

quam, §. *si minor. ff. de iureiur.* ibi: *Nec enim vtique, qui minor est, statim & cir cunscriptũ se docuit*, Barth. *in d. l. fin. & in extrav. ad reprimendũ verbo sũmariè*, Ioan. Mauric. *de rest. cap.* 30.

11 Quarto nã opposita enormissimæ læsionis exceptio, duobus iuris Civilis auxilijs nititur, rescisionis, nempe contractus per *l.* 2. *C. de resc. vend.* & restitutionis Prætoriæ in integrum *l.* 1. *&* 3. *ff. de rest. in integ.* At in conventionibus publicis, quæ ex Principum voluntate pervenerunt, non tam attenditur ius Civile, quàm gentium, siquidem propria voluntate vincuntur, qui alienis legibus non tenẽtur, vt signatè Cafsiod. *lib.* 10. *Epist.* 16. Vnde potius recurrendũ est ad ius gentium, quod Feciale vocant, sub quo *quod factum est pro bono pacis*, vt ait *glos. verbo pro bono pacis, tit. de pace Constantiæ, ratum debet haberi, vt ff. mandati, l. creditor*, §. 1. *ita tamen quod non sit contrariũ iuri Divino, vel impossibile de iure, vt extra de præb. cap. nisi essent, & ibi dicit textus, quod laudo arbitratorũ propter bonum pacis, tenetur æquitas naturalis, &c.* Itaque magis hærẽdum est in sensu, quam verbis, nam vt ait Cicero 1. *de offic. in fide quid senseris, non quid dixeris cogitandum.* Isocrates quoque adversus Calimacum: *Hac lege communi homines inter nos perpetuo vtimur.* Conducit Livius *lib.* 1. Ex veteri fœderum formula: *Sine dolo malo vtiquè ea, hic hodie rectissimè intellecta sunt.* Exclusis ergo legum præsidijs, & in specie post Bodinum, Ayalam, Besoldus 3. *polit. dissert. de pace cap.* 6. Grotius *de iur. belli lib.* 2. *cap.* 11. 15. & 16.

12 Quinto etsi admitteremus beneficium Prætoris fisco competens in sua debita instantia, iuxta *l.* 1. *C. de sent. adv. fisc.* Perusin. *dict. tract. par.* 1. *quæst.* 3. *art.* 13. Speciali tamen pacis favore cessaret *l. auxilium, ff. de minor.* vbi Triphoninus inquit: *Auxilium in integrum restitutionis, in exequutionibus pœnarum paratum non est, ideoquè iniuriarum iudicium semel omissum repeti non potest.* Ac pluribus quidem rationibus, cùm læsus non dicatur, qui inimicitias fugit, qui alterius animum allicit, facultates auget, lites minuit, quibus communem omnium esse sententiam in causa pacis restitutionẽ cessare advertunt DD. *in l.* 1. *C. de rest. in integ.* accuratè Sforc. Perusin. *dict. tract. par.* 2. *q.* 86. *art.* 7. Grotius *lib.* 3. *de iur. bell. cap.* 23. *num.* 3. Besold. 3. *politic. dissert. de pace cap.* 5. iunctis, quæ de eius favore perpẽdunt Prudẽtius *in Psychomachia* 7. Cassiodor. 1. *var. Epist.* 1. Solorz. *de iur. Ind.* 3. *par. cap.* 6. *num.* 20. Emman. Alvar. Pegas. *ad ord. Reg. Portug. art.* 3. *glos.* 47.

13 Sexto, concesso Prætorio hoc beneficio quisquis Principalem meruit indulgentiam, & consequẽter Anton. Suarez, ampliori & privilegiario auxilio restituti sunt, vt in exemplo Cõstitutionis Friderici primi *tit. de pace Constantiæ*, ibi: *Privilegia omnia, & data, & concessiones, quæ in Privilegium, vel damnum Civitatum, vel locorũ, vel personarum societatis, occasione guerræ, in alicuius iniuriam prædictorum, à nobis, vel nuncijs nostris indulta sunt, cassentur, & in irritum deducantur*, vbi notanter *glos.* ait: *Textus est hic valdè notabilis, ita quod, ipsa pax non habet vim simplicis indulgentiæ, sed restitutio-*

tionis in integrum, quod tene menti. Et similiter Gotofredus *ibi.* Vnde cũ agat Antonius ad cõsequenda bona ablata, damnum vitare satagit, secus vero qui eorum restitutionem impugnat, occupationẽ, lucrum, & pœnam fovet, & constãs regula est, quaslatis restitutionis privilegijs, potiorem esse causam illius qui damnum vitare intẽdit, vt in specie *leg. verũ, §. fin. ff. de minor. Si minor*, inquit, *adversus minorẽ restitui desideret, audiendus non est, tamen si ambo capti sunt, v.g. minor minori pecuniam dedit, & ille perdidit, melior est causa eius qui accepit, & dilapidavit, vel perdidit, l. fin. ff. ex quib. caus. maior.* vbi notant Barth. Mornacius, & alij, Sforc. Perusin. *dict. tract. par. 1. quæst. 18. art. 4. n. 33.*

14 Tandem durissimum videri posset in hoc summario restitutionis articulo cliẽtem nostrum ad novam & extraneam iusti prætij probationem adstringere, quasi iniuria vẽditus fuisset locus iste, nam vltra necessitatis causam cogentem, exuberantiam bonæ fidei inter venditorem & emptorem, gratitudinem Regis erga merita, præsumptã æqualitatem in prætio, pactam in excessu donationẽ, appositarum cautionum firmitatem, quibus & alijs perpensis, interventu Procutatoris Fisci ad contrahendum & alienandũ hunc locum Rex fuit inductus, sanè si hæc omnia in novam discussionẽ & iudicij aleam venirent, satius esset re carere, litiquè cedere, quã graves & immoderatos sumptus perpeti, vna cum tot litium capitibus, & implicatis processibus, quibus facultatibus suis destitutus per annos, summa cum rei familiaris iactura sustineret Antonius, nec in pace placida æquum, aut tanto Principe dignũ videretur exemplum, maximè cũ obtenta restitutione, ipso iure, & ministerio beneficæ pactionis, gaudere debeat, ne ex nimia protelatione litis, pacis virtus & restitutionis effectus evanescat, & lædenti potiùs quam læso subveniatur, neque enim *erit possibile vtrumque tueri cautela sacrorum locorum, & lædentem, & læsum.* Iustin. *Novell. 17. §. 7. de mandat. Princip.* Habet quoque Procurator Regius suos iudices, coram quibus restitutionis beneficium implorare, & contractus rescisionẽ, si læsus est, intendere potest, quo magis sinistra calumniæ suspicio, à qua alienus præsumitur, propellatur; sed quid moror? *Eodem foro vtuntur Principatus & libertas. Quæ præcipua tua gloria est* (amplissimè & Illustrissimè consessus) *sæpius vincitur Fiscus; cuius mala causa nunquam est, nisi sub bono Principe*, vt cum Plinio *Panegiri ad Trajanum.* Et bona cum venia vestra, iam desinam, de victoria confisus. 1672.

Doct. Petrus Veyn